



et ante mensam et post mensam, et in omnibus portubus. Aliqui etiam galêae mundatores et ornatores. Sunt etiam in ea rasores ad minus duo, qui etiam sunt medici et chirurgici; sunt etiam in ea tortores malefactorum, qui torquent sicut lictores, quos patronus jusserit torqueri. Est etiam quidam officialis satis potens in galêa, quem nominant scribanum, id est scriptorem, qui omnia nomina personarum galêae in scriptis habet, intrantes in portubus inscribit, et exeuntes, et ille lites ortas de cumbis componit et naulum exigit, et multa agere habet, et est etiam ut communiter homo omnibus otiosus, et illud sufficiat de officialibus galêae.

#### De Justitia et Judicio, quae servantur in galêa exacte.

Ut autem in tanta multitudine pax servetur, justitiae locus datur, et in galêa exacta justitia servatur. Sunt enim in navi iudices, qui cunctis diebus, et causis emergentibus sedent pro tribunali, et audiunt partes, et examinant causas; et rigorosus processus est in galêa. Insuper si aliqui de tractatu facto in galêa discordaverit, nisi in navali iudicio concordaverit, in nullo iudicio admittitur unus contra alium extra mare: nec unus tenetur alteri stare extra navem; nec aliquis iudex terrae se intromittit de contractibus celebratis in mari. Si unus concessit X ducatos in mari, postquam ad terram venerint, si ille negat se accepisse, per nullum iudicem cogetur, nec testes admittuntur contra eum. Ita dicunt marinarii; an autem ita sit, et, si de facto ita fiat, an sit rationale, videat, qui vult. Ideo autem exacta justitia servatur. Fures etiam puniuntur, sed leniter. Nemo adjudicatur morti, sed illa est severissima sententia navis, quod reus aliquo gravi facto ad chordas trahitur, et percutitur et post castigationem in proximum (49 A) litus deportatur, et ibi dimittitur, et navis recedit; sic vidi fieri cuidam homicidae, et tantum de illo: sequitur aliud.

#### De divino Officio, quomodo in galêa peragitur.

Nec praetereundum est, videre qualiter se navigantes habeant ad Deum in actibus latriae. Dignum enim est, ut in

142

140

146

136

151

131

191

091

241

041

Ende

Anfang